

tiens codices exhibent. *Sceledrus* cum defensionem habeat a paronomasia versuum 289, 330, 494, non est cur mutetur, quamvis unde impositum sit hoc nomen servo nesciatur. Bergkiius margini adscripsit *Sceleprus* (= σκελιφρός). Miles appellatur *Pyrgopolinices*, non *Pyrgopolynices*, quam formam praeferunt Benselerus, Birtius, alii. Nam de Polynice qui cogitant, non satis reputaverunt, tali nomine hominem irrideri potius quam appellari potuisse; qui πολυνίκην eum esse volunt, iocosam exaggerationem videntur delere. Cf. Ritschelius Opusc. vol. III p. 328. De *Lurcionis* nomine mihi persuasi Fleckeisenum loco ad v. 843 allato verum vidisse: adde Ritschelium Opusc. vol. III p. 320.

Quam diu animo agitavi commentationem de fabulae compositione, eam, cum nimis succrevisset disputandi materies omittere malui. De contaminatione post ea quae docte et subtiliter exposuerunt Lorenzius, Schmidtus, Ribbeckius, Langenus non dubito: neque minus complures scaenas retractationis habere vestigia apertissima certum est. Sed ut saepe difficile est, alterius utrius rei vestigia singillatim persequi, ita coniuncta contaminatione cum retractatione difficultas mirum quantum augetur. Quidquid de his quaestionibus prolatum esse inveni, in adnotatione quam paucissimis verbis significavi. — De tempore non video quid eis opponam, qui a versibus 210 sqq. profecti circiter a. 550/204 fabulam primo actam esse existiment. — De graeco exemplari conferenda sunt praeter Lorenzii praefationem ea quae Ribbeckius 'Alazon' p. 55 sqq. protulit. — Eis quae de ipsius fabulae per omnes fere gentes vagatae fati disseruerunt cum alii tum Ribbeckius l. s. s. p. 72 sqq. adde doctam commentationem Eduardi Zarneke (Mus. Rhen. vol. XXXIX p. 1 sqq.).

Anni quadraginta et unus praeterierunt, ex quo Ritschelii editio emissa est. Post eum fabulam retractavit Fleckeisenus, bis ediderunt Brixius et Lorenzius, ter Tyrrellius, semel praeter Ussingium Ribbeckius, cuius simul elegantissima exstat translatio. Ad has editiones accedunt commentationes plurimae cum eorundem virorum, ut Brixii, Lorenzii, Ribbeckii, tum aliorum, quo in numero